



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Vnctio chrismatis vndè venit. tit. 79

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

si confirmantis. Sic vā dicit Christus illis contingere, qui oblatam gratiam spreuerunt, vt Bethsaida & Corozain, Matth. 11. Luc. 11. de Spiritu malo redeunte cum septem nequioribus se, Et 2. Petr. 2. Melius esset non cognouisse veritatem &c. sunt enim canes reuertentes ad vomitum, Prouerb. 26. Quid proderat Luciferō, quod erat in cælo? Esa. 14. Quid Iudæ, quoniā Apostolus? Matt. 26. Et quid prodesset esse baptizatum, iustificatum, &c. si non retineretur gratia accepta? Ideo si non debemus amittere denuo gratiam per peccata, opus est confirmatione, id est, robore, cōtra tentamenta corporis & animæ.

Quarto, Pro hac etiam cōfirmatione petimus quod tūc in oratione Dominica Mat. 6. ne scilicet labamur in tentationem & vincamur, & perdamus acceptam gratiam, Ne nos inducas, id est, ne permittas, sed confirma nos in gratia tua, &c. Nam adeo necessaria est ad salutem, vt retineamus gratiam & beneficium Christi, sicuti illius apprehensio.

Quinto, illa confirmatio sequi debet examinationem fidei & doctrinæ, vbi hæc quæ Patrini in Baptismo voverunt proprio ore & corde profitentur, attamen quia sæpè pueri moriuntur ante annos discretionis, ne Sathan eos impugnet, quoq; confirmantur &c. Ab initio fuit vsus in Ecclesia, ab ipsis Apostolorum temporibus.

UNCTIO CHRISMATIS

*undè venit.*

TITVLVS LXXIX.

**P**rimò notandum, quod unctio diuina est instituta, inquit Cyprianus in sermone de Chrismate in die cœnæ. Nā Exod. 30. præcipitur à Deo Moyse, quod faciat unctionis oleū, & vngat tabernaculum, arcam testamenti, mensam, utensilia &c.

P p 3

Et 29.

Et 29. Aaron ungitur in capite, & filij eius sanctificantur verbo, id est, ordinantur & unguuntur, scilicet ut sacerdotio fungantur. Ex hoc Dei instituto mundus unguendi venit, non humana traditione, & etiam reseruat fuit Apostolorum temporibus qui infirmos etiam ungebant oleo, Marc. 6. Et Apostolus Iacobus 5. precipit quoque unctioem. Quod si non liceret uti etiam Moysaïcis caeremonijs, Apostoli non repertissent. Sic Deus præcepit prophetæ Samueli unguere Saul in regem, 1. Reg. 9. quam unctioem intantum veneratus est Dauid, quod non velit mittere manum in Christum, id est, unctum Domini, 1. Regum 24. Sic Dauid præcepto Dei ungitur in regem, 1. Regum 16. Sic Moyses supra caput Aaron tantam abundantiam olei fudit, ut usque ad barbam eius flueret, & super oram vestimenti, Exod. 29. Sed cur, inquis, sic sancti oleati? Respon. Voluntatis diuinæ causam nobis inquirere non licet. Ipse Dominus noster est, & ipse præcepit, idè obedire debemus. Deindè unctio illa modum est, per quod Spiritus sanctus sua beneficia in nobis operatur, ut inquit Cyprianus, uti sapientia & intellectus diuinitus datur, consilium & fortitudo collitus infunditur, scientia, pietas, & timor inspirantibus supernis infunditur, ita hoc oleo uncti cum Spiritualibus nequitijs colluctamur &c. Esai. 11. Paquiescet super eum Spiritus Domini, consilij, fortitudinis, sapientiæ &c. Dona igitur Spiritus sancti per chrisma & unctioem infunduntur. Idè in usu recenemus hanc unctioem.

Secundò, inquis: Ad quid hoc opus est? sine chrismate & oleo Deus omnia facit: est incantatio, sic aligare salutem traditionibus humanis. Respon. Ad quid opus fuit lignum immitti aquis, ut dulces fierent, Exod. 15? Cur sal mittitur in aquas, ut sanentur, 4. Regum 2. Ad quid iecur piscis opus fuit ad visum Tobia? Tob. quinto. Nunquid hæc sola fides in Deum

Deum & verbum potuisset expediuisse? Ad quid opus fuit mulieri tactus simbriæ, Mat. nono, Marc. 5. ? Lutum, quod fecit Christus in illuminatione cæci nati, Ioann. 9. ? Sudaria Pauli, Actor. 19. ? Voluntas ergo Domini est, qui per talia media sua beneficia vult distribuere: non Chrisma vel oleum facit virtutem, sed Deus per hæc media, sicut per aquam baptismi operatur, & quod sic operatus est, testatur Euangelium. Si enim DEVS naturalem dedit virtutem rebus sanandi corpus, cur non per hæc media poterit conferre spiritualia medicamenta? Non ligatur salus ad illa media & traditiones, sed ad Dei gratiam, quæ per hæc operatur. At dices: Sola fides sufficit ad impetranda omnia. Respon. Fides nihil apprehendit sine medijs. qui ergo media respuit, nec effectum gratiæ acquirit & cæt. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt, Roma. 13.

*SACRAMENTALIA AD*

*quid profint.*

TITVLVS LXXX.

**E**Ctæ nobis imponunt, quia committimus idololatriam, exercemus artem veneficam, aut circulatoriam, quia consecramus herbas, palmas, lumina, cibos, campanas, & cæt. Sed nos Catholici scimus, quod dedit nobis DEVS verbum suum sanctum ad multos effectus.

Primò, vt illi credamus omnes in toto mundo, vt saluemur, sicut CHRISTVS dicit Luc. vndecimo. Beati qui audiunt verbum Dei, & cæt. vt nos consolemur, & Sathanæ resistamus. Marci vltimo: In nomine meo dæmonia eijcient.

Secundò, datum & relictum est nobis verbum Dei, vt per hoc consecremus Sacramenta sancta. Nam per illa vult Deus nobis distribuere spiritualia dona, id

P p 4 est, re-